



~~SM.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.
VI-73. ———
SIGNAT. cIbIbCCCXIII.



7
I. N. J. C. C.
COLLEGIISYN-
OPTICI
Ex
LOGICA

DISPUT: IX.
exhibens
ENUNCIATIONIS NATURAM

Quam
PRÆSIDE
M. GEORGIO VVAGNERO

Colleg: Phil: Adj:
RESPONDENS

JOHANNES Suchand /

Hojersvverda-Lufate

SS. Theol: ac Philos: Studios.

amicæ philosophantium collationi

D. XXXI. Julii Ann: O. R. M. DC. LXXII.

In Auditorio Majori, Horis matutinis
(subj cit.)

WITTEBERGÆ
Typis JOHANNIS BORCKARDI, Acad. Typogr.

Incipe, effice, perfice mi Jesu!

SYNOPSIS LOGICÆ

PARS SECUNDA

DE ENUNCIATIONE ATQVE INTER-
PRETATIONE SECUNDAM MENTIS OPERATI-
ONEM DIRIGENTIBUS.

LIBER I.

DE ENUNCIATIONE.

TRACTATUS I.

tradens

ENUNCIATIONIS DEFINITIONEM ATQVE DI-
VISIONEM.

CAP. I. POSITIV.

PRÆC. I.

Enunciatio est terminus complexus qui per Subjectum & Prædicatum copulatum, enunciat determinatè verum aut falsum complexum ob organicam intellectus compositi directionem.

§.1. Ad Subj. Medium intellectus apprehendentis directivum, quod erat terminus simplex, huc usq; expendimus. Nunc bono cum Deo accedimus ad *instrumenta* intellectum componentem atq; dividens *dirigentia*, modumq; intelligendi compositum producentia; qualia sunt, termini ex subjecto & prædicato compositi. Cùm v. iidem *l. ratione syntheseos, s. sub connexionem*, prout docent sensa mentis per orationem exponere, *l. ratione analyseos s. sub explicationem*, qd. tradunt modum interpretandi orationes, jam dum ab aliis, s. voce, s. scripturâ prolatis, spectari queant, & uterq; modus considerandi faciat ad meliorem veritatis perceptionem, ideo duplicem Enunciationis considerationem instituimus. Illi assignamus librum primum; huic attribuimus librum secundum.

§.2. In præsentis præcepto, descripta est Enunciatio. Intelligi-

A 2

tur

tur autem hic Enunciatio, non latè sumta, prout notat *Orationem non Logicam*, quales sunt *Grammatica*, *Optativa*, *Interrogativa*, *Vocat*, *Imperat*: it: *Rhetorica*: it: *seipsas falsificantes*: sed strictè ac Logicè accepta, q̄t. ipsa præscindit ab Enunciatione Logicâ interna pariter, atq; externâ.

§ 3. ad Prædicat: (1) *Conceptus determinabilis est terminus complexus*. Ipse n. ceu latior essentialiter ac immediatè dicitur de Enunciatione. Insinuatur enim hîc terminus complexus, non apprehensivè talis, qui ratione plurium conceptuum citra affirmationem aut negationem designat complexionem, & terminus *simplex complexus* appellatur: sed complexus *enunciativè* talis, qui sub affirmatione aut negatione Enunciativa capax veritatis aut falsitatis complexæ notat combinationem conceptuum; nam sub *connexionem aut divisionem* complexa termini ingrediuntur Enunciationem ut proportionata secundæ mentis operationi dirigendæ evadant media. Deinde hic non indigitur complexio terminorum *non-significativorum*, sed *significativorum*. (2) *Conceptus determinans* absolvitur, tum *partibus*, tum *officio s. actu*. (α) *Partes Enunciationis*, aliæ sunt *signantes*; quales dicuntur *Subiectum & Prædicatum*; de quibus in seqq. aliæ sunt *signatæ*, utp. *verum aut falsum complexum*. *Subiectum* enim & *prædicatum* sunt notiones Logicæ. Sicut autem omnis notio Logica est signum signans aliquod reale objectum s. conceptum primum: ita & *subiectum & prædicatum*, ceu notiones Logicæ complexæ significant complexum verum aut falsum: quandoquidem *subiectum & prædicatum* sint signa: *verum autem & falsum complexum*, sint *signatum*. (β) *Officium s. actus* Enunciationis est *internus* l. *externus*. *Internus* consistit in compositione aut divisione *complexâ* (*Enunciativâ*, quæ nihil aliud est, quàm affirmatio aut negatio complexa, dum enim terminus cum termino componitur, aliquid de altero affirmatur; & dum terminus à termino dividitur s. *removetur*; aliquid de alio negatur. Sicut autem ratio omnis instrumenti consistit in *actione*: ita etiam Enunciatio tanquam ὄργανον complexum est *ordinatum per se ad actionem*. *Externus* est organica intellectus compositi directio. Actibus enim noetici intellectus adjuvandis inservit Enunciatio, & propter eandem directionem Enunciatio est.

PRÆC.

PRÆC. II.

Enunciatio dividitur in Partes & in Species.

ἐκθ.

Fundamentum hujus divisionis est duplex Enunciationem considerandi modus. Spectatur enim Enunciatio *l. ad modum totius essentialis*, & sic illa dirimitur in partem *materialem & formalem*: *l. ad modum totius universalis* & ita Enunciatio tanquam genus sub se habet alias Enunciationes, veluti species.

CAP. II. DIRECTIV:

CANON:

I. Omnis Enunciatio est Oratio, sed non contra.

ἐκθ.

§. 1. *Oratio* dicitur vox complexa, cujus aliqua pars significat separatim ut dictio, non ut *affirmatio l. negatio*. Notanter dicitur *aliqua*, non *omnis pars*, ne excludatur *Enunciatio composita*, quæ quidem constat ex partibus majoribus, sed talibus quæ affirmationem & negationem inferunt. Deinde dicitur, ipsam non significare *affirmationem l. negationem*: sc. *complexam s. Enunciativam*.

§. 2. Fundamentum canonis est, quia oratio absolvitur complexione vocum: hæc autem etiam datur in Enunciatione. Non a. reciprocatio hîc locum habet, cum ad Enunciationem præter pluralitatem vocum, etiam requiratur *affirmatio aut negatio complexa*, enuncians verum aut falsum. *Affirmatio* autem & *negatio* non occurrit in singulis orationibus: quandoquidem in *imperfectis*, in omnibus *Grammaticis* orationibus, non habeatur *affirmatio* aut *negatio*.

II. O. Enunciatio sit una, perspicua, vera aut falsa.

ἐκθ.

Sc: (1) *Enunciatio Logica & propriè dicta*: non autem oratio non-Logica & impropiè sumta. (2) requirit (α) *Unitatem*, ob unitatem sensus & significationis. Enunciatio enim tenetur verum aut falsum determinatè enunciare; quæ ex adverso *indeterminatè s. ambigüè* aliquid effert, ea potius nihil, quàm aliquid significat. (β) *Perspicuitatem*, ut verum aut falsum per Enunciationem expressum sine
mentis

mentis suspensione aut distractione intelligi queat. (γ) *Veritatem aut falsitatem.* Enunciatio quippe est notio atq; signum exprimens verum aut falsum. Si igitur Enunciatio significat *verum*, ipsa denominatur *vera*; sin autem notat falsum, ipsa denominatur *falsa*.

III. *Omnis Enunciatio fiat in Indicativo & in presenti.*

ἐκθ.

In hoc enim *Modo & Tempore*, quàm optimè exprimitur *veritas* aut *falsitas*. Quare omnes Enunciations in aliis Modis atq; temporibus formatae non sunt in rigore Enunciations, sed *l. reducende* sunt ad *Indicativum & ad praesens tempus*, l. si admittuntur ut *verae*, propter *Indicativum & praesens* admittuntur, cum eò reduci queant.

IV. *Dici requirit inesse.*

ἐκθ.

Si non per *internam aut Physicam inhaerentiam*; tamen per *veram & Logicam competentiam*, ita, ut vera inter subjectum & praedicatum intercedat habitudo, propriam denominationem inferens. Sic verè dicitur, *paries videtur*, non quod visio *physicè* atq; *inhasivè* insit parieti, sed quod is à visu verè apprehendatur.

V. *Talia sunt praedicata, quae permittuntur esse à suis subjectis.*

ἐκθ.

Mutua enim inter illa requiritur unio aut unitas. Unde praedicatum non potest *plus affirmare l. negare* de subjecto, quàm subjectum patitur.

VI. *Ut res sunt, ita debent enunciari.*

ἐκθ.

§. 1. Ratio est, quia modus praedicandi, sequitur modum essendi; & res sunt mensura cognitionis atq; praedicationis. Ita n. sese invicem excipiunt, *πρῆμα* praesupponit *νόημα*; *νόημα* praesupponit *περὶ γμα*: *περὶ γμα* v. est fundamentum tùm cognitionis, tùm enunciationis.

§. 2. Accipiendus a. est Canon (1) *de jure*, non *de facto*. (2) de eo, quod fieri debebat, non autem de isto, quod per rationis imbecillitatem praestare non valemus. (3) *comparatè & proportionaliter*: non secundum esse suum reale, sed ideale. (4) *Non immediatè, sed mediante notione prima.*

CAP.

CAP. III. DISPUTATIV.

Q. Num Orationes non-Enunciativa sint fori Logici?

Resp. Per se & quamdiu tales sunt & manent non sunt directè & per se fori Logici, cum nequeant intellectum compositum in feliciori veritatis indagatione juvare. In quantum autem ipsæ rectificari & in Logicas s. Enunciativas orationes converti possunt, in tantum incipiunt esse fori Logici.

PARTITIO I.

DE DIVISIONE ENUNCIATIONIS QVA

PARTES SPECTATÆ.

TITUL. I. POSITIV.

PRÆC. I.

Partes Enunciationis sunt quæ enunciationem l. constituunt l. integrant. Suntq; alia Formales, alia Materiales.

ex 9.

Hæc divisio innititur partibus Enunciationis, ex quibus ipsa constat. Expenditur enim Enunciatio nunc per modum totius essentialis: totum autem essentialis s. univocè s. analogicè tale, componitur ex partibus, tum constituentibus, tum integrantibus.

PRÆC. II.

Partes Enunciationis materiales sunt quæ materiam Enunciationis absolvunt. Et sunt l. Principales, l. minus principales.

ex 9.

§. 1. Principales sunt ex quibus Enunciatio principaliter constat. Suntq; Subjectum & Predicatum.

§. 2. Subjectum est prior pars Enunciationis, de qua predicatum enunciatur.

Hic observ. (1) Subjectum dicitur à subjiendo, quia actu alteri, n. p. predicato, subicitur. Insinuatur v. hic loci per subjectum, non *subjectum inhesionis*, quod accidentium esse solet, *neq; informationis*, quod à forma actuatur & informatur; *neq; operationis*, quale est habitus practici: *neq; demonstrationis*, de quo aliquid demonstratur, *neq; considerationis aut cognitionis*, quod aliàs *subjectum disciplinæ*,
appel-

appellatur: sed *subjectum praedicationis*, quod ab aliis describitur per *diotionem simplicem, finitam & rectam, significantem secundum impositionem absq; tempore.*

(2) Finitur Subjectum (α) quoad *conceptum limitabilem per priorem partem Enunciationis*, quia omnis pars, mentione totius, est definienda. Nomine a. *partis*, intelligitur pars analogica, & quidem restricta ad Enunciationem. Deinde indigitatur Enunciationis pars *materialis principalis*. Tandem vocatur *pars prior*, non ratione *collocationis*: Saepe enim termini adeò transponuntur in Enunciatione ut praedictum *priorem*, subjectum verò *posteriores* locum occupet. v. c. pessimus diurnitatis custos est metus: sed *ratione praedicationis*: vocatur *prior*, non quia prioritatem temporis; sed quia *prioritatem naturae*. Nam quoad naturalem dispositionem subjectum semper antecedit praedictum. (β) quoad *conceptum limitantem*, observ: quod ipse absolvatur *formali ratione subjecti*. Subjectum enim formaliter consistit in *receptione praedicationis à praedicto factae*. Quapropter in definitione dicitur (est pars) de qua praedictum enunciatur,

§. 3. *Praedictum est posterior pars Enunciationis, quae de subjecto enunciatur.*

Ubi nota (1) *Praedictum* dicitur à praedicando, quod actu praedicitur de Subjecto. Deinde aliud est *Praedicabile*: aliud *Praedictum*. *Praedicabile* notat praedicandi potentiam: *praedictum* verò designat *actum praedicandi*. Illud *aptum natum est ingredi Enunciationem*; hoc verò actu *integrat Enunciationem*. Tandem *Praedictum* accipitur l. *inadæquate*, prout significat praedictum affirmativum l. *adæquate*, quod designat omne illud, quod de alio enunciatur, s. fiat *affirmativè*, s. *negativè*. Et haec posterior acceptio praedicti est h. l. Ab aliis praedictum ita describitur; quod sit *dictio simplex finita & recta, secundum impositionem significans tempus & quod semper sit nota eorum, quae de alio dicuntur.* (2) (a) *Conceptus contrahibilis* est posterior pars Enunciationis. Dicitur *pars posterior* in oppositione ad *Subjectum*, quod juxta dispositionem naturalem semper *priorem*: praedictum autem semper *posteriores* locum occupare debet. (b) *Conceptus contrahens*, exprimit propriam praedicti *rationem*,

nem, quæ consistit in actuali de subiecto prædicatione. Sicut n. subiectum formaliter dicit prædicationis receptionem; ita prædicatum formaliter notat prædicationis attributionem.

S. 4. *Partes Enunciat: minus principales sunt, ex quibus Enunciatio constat secundario. Dicuntur minus principales, quia per se tales, neq; subiectum, neq; prædicatum esse possunt, sed subiecto & prædicato apponuntur, & l. materiam l. formam enunciandi, l. utramq; modificant. Quales sunt termini Syncategorematici: cuius ordinis sunt (1.) voces indeclinabiles (2) descriptiones subiectum aut prædicatum modificantes. 3. adiectiva adiectivè sumpta. ut: Omnis: Nullus. Quidam: Solus: Possibile: 4. casus obliqui nominum substantivorum. (5) Particulae (α) Negativa: Non: Nequaquam (β) modificantes: Contingenter: Necessario. (γ) Restrictiva, Quatenus: in Quantum: secundum: (δ) Exceptiva: Nisi: Excipe: (ε) Exclusiva, unice, solum. (ζ) Conditionales. Si. Sin.*

PRÆC: III,

Partes Enunciationis formales sunt, quæ Enunciationem formaliter constituunt, Sunt q; tum signata: tum signans.

ex 9.

S. 1. *Ad Subj. Hæ partes appellantur formales, eò, quòd ad modum formæ realis constituent Enunciationem,*

S. 2. *Ad Prædic: (1) Conceptus latior subauditur, foret a. iste partes Enunciationis. Pars n. Enunc: latius patet, quàm Enunc: pars formalis. Materialis quippe pars, etiam sub parte Enunc: continetur. (2) Conceptus strictior absolvitur propria ratione, quæ consistit in formali Enunc. constitutione. Sicut n. Forma realis largitur formato, esse formale: ita Enunc: pars formalis, dat Enunciationi esse ad modum formæ substantialis. Et quemadm. forma substantialis in proprio esse constituit & ab aliis distingvit: ita etiam pars Enunc. formalis, & constituit Enunciationem in proprio esse, & ab omnibus aliis notionibus Logicis tum incomplexis, tum discursivis discernit.*

S. 3. *Formalis pars Enunc: signata est, quæ à signante significatur. Estq; connexio (identitas) a. divisio (diversitas) subiecti & prædicati. Nam per connexionem & divisionem Enunciatio constituitur in esse formali, & ab omnibus aliis notionibus Logicis, tum simplicibus,*

B

quia

quia illæ citra *affirmationem* ac *negationem* inserviunt intellectui: tùm à *discursivis*, quia hæ, non *enunciativam*, sed *illativam* dicunt *cohesionem* aut *divisionem*, distinguuntur. Siquidem non *connexio- nem subjecti & prædicati*, quemadmodum *Enunciatio*, sed *connexio- xionem propositionum* aut *dispositionis* designent.

§. 4. *Formalis pars Enunc: signans est, quæ signatam notat.* Et dicitur *Copula EST.* Hæc n. tanq. signum notat *subjecti* atq; *prædicati* *connexionem* a. *divisionem*, adeò, ut per illam *l. affirmatio* l. *negatio* manifestetur. D. a. inter *EST συνδιασικὸν copulativum* s. *tertiæ adje- cti*: & inter *EST ὑπαρκτικὸν substantivum* s. *secundæ adjecti*. Qu. nos τὸ *EST*, ut partem signantem habemus, non respicimus illud prout *ὑπαρκτικῶς* s. *substantivè* accipitur: ita enim non ad *formales*, sed ad *materiales Enunc: partes* spectat, & in *binariâ Enunciatione* absolvit *prædicatum*. v. c. *Deus est.* Hic particula *Est*, non est *συν- διασική*, sed *ὑπαρκτική*, cum sit *prædicatum* hujus *binariæ Enunc:* sed intelligimus *EST copulativum*, quo *prædicatum & subjectum* inter sese copulantur. (2) D. inter τὸ *EST explicitè* atq; *implicitè po- situm*, *EST explicitum* s. *formale* dicitur, quod *expressè* ponitur in *Enunciatione*. ut: *homo est animal.* Ex *adverso EST implicitum* s. *virtuale* dicitur, quod in *Verbo Grammatico* latet. ut: *homo vivit.* i. e. *homo est vivens.* Utrumq; *EST*, tanquam signum *manifestati- vum connexionis* aut *divisionis Enunciativæ* est habendum. (3) D. inter *copulam principalem*, quæ *prædicatum cum subjecto* con- nectit & dicitur *formalis*: Et inter *copulam minus principalem* (aliàs *materialis dicta*, quia partes l. *subjecti* l. *prædicati* unit, adeoque nunc ad *prædicatum* spectat) quæ in *subjecto*, vel *prædicato* in- cluditur, & illius pars est. Hoc loco sermo est, de *copulâ principali*, qualis in unaquâq; *Enunciatione* tantum unica habetur. *Minus principales* possunt esse *duæ* l. *tres*. v. c. *Quoddam quod est animal,* est id quod est *album.* Hic habentur *duæ copulæ minus principa- les*, sed *unica tantum principalis.*

TITVL: II. DIRECTIV:

CAN:

1. *Omnis Enunciatio constat ex Subjecto & Prædicato.*

sc: tan-

exθ.

§.1. Sc: tanquam ex duabus *principalibus materialibus partibus*: *formalis n. atq; principales partes*, etiam possunt locum habere in Enunciatione.

§.2. Ratio est, quia Enunciatio dicit complexionem duorum terminorum significantium. D.a. (1) inter partes Enun: *explicitas & implicitas*. Non semper requiruntur *expressè positum subjectum & prædicatum*: sed interdum *implicitè* in uno termino significativo & subjectum & prædicatum habetur, v.c. Legō i.e. ego legō. (2) Dist: inter *subjectum & prædicatum voce ac re complexum*. Ad Enunc: requiritur *unum subjectum & unum prædicatum*, quod sit *re incomple- xum*, licet *voce sit complexum*. v.c. Deus, pius, justus & longanimus ostendit magnam erga reprobos patientiam. Hæc verba absolvunt unam simplicem Enunciationem. Nam ejus subjectum est *Deus pius justus, longanimis*: prædicatum autem est, *ostendit magnam erga reprobos patientiam*. Unam simplicem dico, absolvunt Enunc: *quoad rem*, licet ipsa sit de extremis complexis.

II. *Soli termini categorematici possunt esse subjectum & prædicatum.*

exθ.

§.1. Ratio est, quia Enunciatio tanquam signum significativum per subjectum & prædicatum tenetur aliquid aut affirmare aut negare. Categorematica autem esse terminos *significativos*, quales sunt *Nomina casus recti & verbum personale finitum indicativum* ex primâ mentis operatione constat.

§.2. Intelligitur Canon de eo, quod *per se fieri solet & debet*: *per accidens*, & si ponatur Syncategorema loco categorematici, etiam Syncategorema vicem l. subjecti l. prædicati sustinere potest, v.c. Vos autem non sic. (sc. debetis dominari) Luc. 22, 26.

III. *Prædicatum l. latius l. æquale est suo subjecto.*

exθ.

§.1. Sc. (1) in prædicatione *directâ & naturali*. non autem in *indirectâ & non naturali*. (2) *Prædicatum & Subjectum, unius, non diversi ordinis*, intelligitur.

§.2. Ratio autem Canonis est, quia prædicatum in aliquâ E-

B 2

nunc:

nunc: est l. *Synony: l. Paronymum*. Omne autem *Synon: & Paron:*
est vel latius, vel aequale suo *Synonymato, & Paronymato*.

IV. *Enunc: de tempore præterito & futuro, verificatur propter
Enunciationem de tempore præfenti.*

ἐκθ.

§.1. *Tempus enim præteritum & futurum significat verum vel
falsum propter præfens*. Sic verè dicitur Paulus docuit: quia ali-
quando verum erat: Paulus docet.

§.2. *Valet autem sic Canon de iis Enunc: quæ designant Ens
permanens. De Ente successivo non valet.*

V. *A nominibus & verbis obliquis, sedulo cavendum est.*

ἐκθ.

*Propositiones enim Logicae, ex iis non constituuntur, sed potius inde
tales nascuntur propositiones, quæ captionibus variis obnoxia
sunt, quod colligere est l. ex hoc sophismate: animalis est videre. Au-
res sunt animalis. E. aurium est videre.*

VI. *Ad omnem enunciationem requiritur una copula.*

ἐκθ.

Sc: principalis s. formalis: non autem minus principalis s. materialis.
Harum enim duæ l. tres, aliquam *Enunc: ingredi possent*. Ratio
Can. est, quia omnis *Enunciatio componi debet, tanquam terminus
complexus. Compositio a. absq; vinculo, quod dicitur copula est,
feri nequit.*

TITUL: III. DISP:

Q. *Quanam sint nota, ex quibus Subiectum & Prædicatum
cognosci queant?*

Resp. *de subiecto & prædicato (1) neq; ex situ aut pronunciatione,
cum termini sæpè permutentur, adeò, ut ille non sit subiectum,
qui priorem, neq; is prædicatum, qui posteriorem locum occupat:
sed vice versa. v. c. Esuriet, qui non laborat: neq; (2) ex constructione
Grammaticâ, cum illa non tam sensum, quam ordinem Grammati-
cum respiciat. ut: benignè est nihil fecisse. Neq; (3) ex articulo
Græcorum, qui etiam prædicato adjici solet, est judicandum, ut: ἔ-
γω εἰμι ὁ ποιμὴν ὁ καλός. Sed nota, index & character infallibilis di-
gnoscenti subiectum à prædicato, est dispositio naturalis, adeò, ut il-
lud*

illud sit *subjectum*, quod in dispositione naturali, *antecedit*; prædicatum verò illud sit, quod in ordine naturali sequitur, ut: homo est animal. Hinc *subjectum* Enunciationis *Logicum*, est *Nomen Logicum*; & prædicatum est *Verbum Logicum*. Deinde *subjectum* est illud, quod ratione dispositionis prædicamentalis est *inferius*. Prædicatum autem est illud, quod respectu ejusdem dispositionis est *superius aut generalius*. Tandem, quod si æque latè pateant termini, ille *subjectum* erit, qui *rationem materiae*, & qui *rationem formæ* habet, erit *prædicatum*. Sin nec *formale*, à *materiali* possit distingui, connexio merè *eventualis* est, ac situs extremorum *arbitrarius*.

PARTITIO II.

DE DIVISIONE ENUNCIATIONIS QVA

SPECIES PENSITATÆ.

TIT. I. POSITIV.

PRÆC. I.

Enunciatio quoad specificam diversitatem dispescitur vel ex parte formæ, vel ex parte materiae.

§. 1.

§. 1. *Ad Subj.* Intelligitur jam non distinctio *equivoci* in sua *equivocata*: qualis est cum Enunciatio distinguitur (1) *in naturalem*, in quâ naturalis *subjecti* & *prædicati* dispositio observatur: & *non-naturalem*, quando partes Enunciationis transponuntur & *invertuntur*, ut: *hinniens est equus*, *animal est homo*. (2) *in actualem*, cujus extrema actu sunt: ut: *homo est animal*: & *in aptitudinalem*, cujus extrema sunt *potentialiter*. v. c. quando de rosa non existente dicitur: *Rosa floret*. Sed *divisio totius universalis analogi* in suas partes *subjectivas*.

§. 2. *ad Prædicat.* Enunciatio à respectu formæ *divisa* est, ubi *specificæ Enunciationis* diversitas residet *penes formam*. Atq; sic Enunc: dispescitur (1) *in Affirmativam & Negativam*. (2) *in Indefinitam & Definitam*. (3) *in Infinitam & Finitam*. (4) *in Binariam & Ternariam*. (5) *in Indeterminatam & Determinatam*.

§. 3. Enunciatio *quoad materiam* *divisa*, est ubi *specificæ diversitas* sita est *in materia Enunciationis*. Et hæc ratione Enunciatio est

B 3

(1) *vera*

(1) vera l. Falsa. (2) Usitata l. Inusitata. (3) Synonymica l. Paronymica.
(4) Necessaria vel Contingens (5) Simplex l. Composita.

TIT. II. DIRECT:

CAN:

I. *Omnis Enunciatio s. formaliter s. materialiter dispescatur, constat ex Subiecto & ex Prædicato.*

èx D.

Ratio est, quia Enunciatio, tum quâ formam, tum quâ materiam divisa est inferius quippiam, aut species Enunciationis: Enunciatio autem in ordine ad illas est conceptus latior, aut genus. Jam verò quia subiectum atq; prædicatum spectant ad essentiam Enunciationis, ideo hæ partes quoq; Enunciationi tali & tali conveniunt.

II. *Varia habitudo formæ ad extrema Enunciationis constituit varias formaliter tales Enunciationes.*

èx D.

Aliter quippe extrema Enunc: sub *Qualitate*, aliter sub *Quantitate*, aliter sub determinatione &c. à formâ respiciuntur.

III. *Varietas materiæ suppeditat Enunciationes materialiter diversas.*

èx D.

Alia enim Enunciatio dependet à *materia verâ*: alia à *materia falsâ*: alia à *materia necessaria*: alia à *contingente*: &c.

TIT. III. DISPUT:

Q. *Quanam sit divisio, quâ Enunciatio dividitur respectu materiæ & formæ?*

Resp. Est *analogâ*, æmulans naturam Universalis in essendo. Sicut igitur totum aliquod Metaphysicum dispescitur ratione sui l. *Materialis*, l. *Formalis*: & sicut totum *Physicum*, secatur respectu *Materiæ & Formæ*: ita etiam totum Logicum dividitur respectu suæ materiæ & formæ, illis in analogiâ, respondentium. *Illâ* gignunt divisionem realem: *hoc a. notionalem.*

SECTIO I.

hstens

ENUNCIATIONES FORMALITER DIVISAS.

SUB-

SUBSECTIO I.
DE ENUNC. AFFIRM. ET NEGATIVA.

MEMBRUM I. POSITIV.

PRÆC. I.

Enunciatio affirmativa est, quæ prædicatum cum subiecto componit. ut: Planta vivit. ἐκθ.

§. 1. *ad Subj.* Hæc Enunciatio aliàs absolutè vocatur *Affirmatio*, sc: *proprie dicta & complexa*, it: σύνθεσις s. compositio, cum ipsa per affirmationem prædicatum componat cum subiecto: it: λόγος καταφατικός, it: κατηγορικός.

§. 2. *Ad Prædicat.* 1. *Conceptus contribibilis* subauditur. 2. *Conceptus contrahens*, absolvitur (a) *Materiali*, quod est subiectum & prædicatum. Hoc n. omni Enunciationi est commune. (b) *Formali*, quod consistit in prædicati ad subiectum attributione. Ea enim vis est affirmativæ Enunc: ut prædicatum non removeat à subiecto, sed eidem attribuat. v. c. *arbor est Planta*: affirmativam nobis suppeditat Enunciat: Ipsa n. dicit prædicatum sc. *Plantam*, convenire suo subiecto, n. *arbori*.

PRÆC. II.

Enunciatio Affirmativa est l. Pura l. Impura.

ἐκθ.

§. 1. *Pura est, cujus omnes termini sunt affirmativi. (s. positivi) v. c.* Sol lucet. Homo vivit.

§. 2. *Impura est, quæ est de extremo, l. utroq; l. alterutro negativo. ut: Pauperes sunt non honorati. Bartimæus est cæcus. Homo est non lapis.* Reddit v. impuram affirmativam enunciationem terminus negans, tum privativus, tum contradictorius.

PRÆC. III.

Enunciatio Negativa est, quæ prædicatum à subiecto dividit. ut: lapis non est arbor. N. homo est leo. ἐκθ.

§. 1. *Ad Subj.* Enunciatio *Negativa*, vocatur æquipollente appellatione, eademq; absolutâ (1) *Negatio*, quia in eadem prædicatum de subiecto negatur. (2) *Divisio*, eò, quod prædicatum dividat à suo subiecto. (3) etiam dicitur λόγος ἀποφατικός.

§. 2. *Ad Prædicat.* 1. *Conceptus latior* reticetur. 2. *Conceptus strictior* defu-

defu-

mitur (a) à materiali, quod est *subiectum & predicatum*. (b) à formali, quod est *prædicati à subiecto remotio*. Per divisionem enim, s. per remotionem prædicati à subiecto, Enunciatio negativa constituitur in proprio esse, & ab aliis Enunciationibus, tum ab *Enunciatione ut sic*, quæ formaliter in *mutuâ subiecti & prædicati relatione citra affirmationem aut negationem consistit*: tum ab *Enunc: affirmativâ*, quæ formaliter subiecti & prædicati compositionem dicit, tum ab aliis Enunciationibus discernitur.

§.3. Fit autem negatio s. remotio prædicati à subiecto (1) *per particulam negativam NON, HAUD, NULLUS, NEUTER & similes &c.* ac inde resultat Negatio. Est a. Negatio, alia *negans*, quæ copulam afficit, & quicquid post copulam invenit, in eodem commate conjunctim negat, v. c. Lapis non est animal irrationale. Atq; hæc est *principalis*, quæ Enunciationem negativam constituit, l. *minus principalis*, quæ subiectum l. prædicatum reddit negativum. alia *infini-tans*, quæ termino immediate præponitur, eundemq; infinitum reddit, ut: Angelus est non animal intelligens i. e. Angelus non est animal, est tamen intelligens. Unde hæc non omnia, quæ post se invenit, negat; negat tamen omnia post se, si negativa immediate præfigitur participio. v. c. Judæus est non audiens Verbum DEI. Quapropter ad Enunciationem negativam propriè constituendam requiritur non *negatio infinitans*, aut *negatio negans minus principalis s. materialis*, quia illa est incomplexa & terminum solummodo afficit; sed *negatio negans & principalis s. formalis*.

(2) *Per Negativam iusto loco positam*. Ponitur a. particula negans iusto loco, quando ipsa afficit copulam s. supra connexionem subiecti atq; prædicati fertur. Id quod fieri solet, quando particula NON (a) *immediate præfigitur copulæ principali s. formali*. v. c. Cælum non est terra. (b) *signo includitur*, v. c. N. arbor loquitur (c) quando *roti Enunciationi*, quæ signo caret, præmittitur. v. c. Non homo est lapis. (d) Quando præponitur signo affirmanti, v. c. non omne corpus sentit. (e) Quando negatio in verbo, quæ copulam continet, includitur. v. c. Petrus nescit diem novissimum i. e. non est sciens diem novissimum. (f) Quando vis negandi latet in particulis *exclusivis, exceptivis & similibus* formam Enunc: efficientibus, v. c. solus canis latrat. i. e. Qc: non est canis, illud non latrat.

PRÆC:

PRÆC: IV.

Enunciatio Negativa est l. formalis l. Virtualis. *ἐκθ.*

§.1. *Formalis (actus) est in quâ particula negans explicitè ponitur.*
ut: ignis non est frigidus.

§.2. *Virtualis (potentialis, it: eminens) est in quâ vis negationis
nexus Enunciationis afficiens latet in terminis resolubilibus in nega-
tionem expressam, ut: pauci sunt docti. Hic latet negativa in parti-
culâ pauci, quæ idem significat, quàm non multi.*

Termini v. virtualiter negativi sunt, *Exclusivi, Exceptivi*, it: quidam
modales, ut: *Impossibile & similes.* v.c. omne animal præter homi-
nem est brutum i.e. homo est animal. Homo non est brutum: & O-
mne animal, quod non est homo, est brutum.

MEMB. II. DIRECT:

CAN:

*I. Enunciatio affirmativa impura est vera Enunciatio affirma-
tiva.* *ἐκθ.*

Ratio est, quia illa impuritas ex negatione adjectâ resultans, tan-
tum est termini incomplexi l. alterius l. utriusq; in Enunciatione,
non autem ipsa super connexionem extremorum fertur. Qua-
propter sicut pura: ita etiam impura affirmativa, componit subje-
ctum cum prædicato.

II. De quolibet vera est l. Affirmatio l. Negatio. *ἐκθ.*

§.1. Canon hic non *πεγαυατινωσ*, de affirmatione l. negatione
reali: sed *vonuατινωσ* de affirmatione l. negatione notionali, pro-
ut notiones subjecti & prædicati combinatæ faciunt ad affirmati-
onem l. negationem realem facilitandam intelligitur.

§.2 Hoc a. modo Canon limitatus loquitur (1) *de subjecto eodem,*
non a. *de diverso* (2) *de affirmatione & negatione non incomplexâ,* sed
complexâ (3) *non de modali,* cum duarum modalium Enunciatio-
num utraq; possit esse falsa, v.c. necesse est hominem esse doctum:
& necesse est hominem non esse doctum: *sed de purâ.* (4) *de oppositi-
one contradictoria.* Duæ n. Enunc. contrariæ possunt simul falsæ es-
se, v.c. O. homo est doctus. N. homo est doctus. (5) *etiam secundariò*
de privatione: ut homo cæcus.

III. Duæ negationes in eundem terminum cadentes, apud Lati-

C

nos

nos affirmant v. c. beati in Coelo, non possunt non vivere, i. e. necessariò vivunt.

ex. 9.

D. hic (1) *inter duas & inter tres negationes*, de duabus loquitur Canon. Nam tres negationes etiam apud Latinos negant, idq; ideo, quia cum duæ priores se mutuò destruant, tertia superveniens illaesa manet. (2) D. *inter Autores Latinos & inter Græcos atq; Germanos*. Duæ negationes in eundem terminum cadentes penes Latinos, non a. penes Græcos & Germanos obtinent vim affirmandi, Nam apud hos duæ negativæ fortius negant, conf. Joh: 15, 5. Luc: 21, 33. *Es ist gar keine Treue nicht mehr auff der Welt. Dergleichen kan keiner nicht thun.*

IV. Unius affirmatio non est statim alterius negatio: & contra.

ex. 9.

§. 1. Aliàs hic Canon ita effertur: *Unius positio, non est alterius exclusio s. negatio.* v. c. non valet, Christus est mortuus pro piis & electis. E. non pro impiis. Et contra: Christus mortuus est pro impiis. E. non pro piis & electis.

§. 2. Quà veritatem hujus Canon: disting. *inter opposita mediata & immediata*. De oppositis mediatis; non autem de immediatis hic Canon valet. Sic non procedit, homo est rationalis. E. non statim negatur hominem esse irrationalem; quia inter hæc datur immediata oppositio. Rectè a. procedit Canon in oppositis mediatis. ut: homo habet duos oculos. Ita n. non negatur, eundem habere duas aures. Sic multi sunt vocati, unius positio non est alterius negatio. Licet n. multi sint vocati, propterea tn. non negatur omnes esse vocatos.

V. Negatio addita signo universalis Enunciationem reddit aut universaliter negativam, a. biparticularem.

ex. 10.

Ejusmodi Enunciationes sunt in quibus habetur *Negativa l. cum signo distribut. vo: ut: Non omnis: l. cum signo colectivo, ut: Non totus.* v. c. Nisi decurtati fuissent dies, non fieret salva omnis caro, h. e. nulla. Matt: 24, 22. *Non laudabunt te omnes qui descendunt in infer-*

infernum h.e. nulli descendentes in infernum te laudabunt. Non omnes homines sunt docti, i.e. aliqui homines sunt docti: aliqui homines non sunt docti. Nō totus orbis paruit Alexandro, h.e. Q. pars orbis paruit Alexandro. Q. pars non paruit.

VI. *Prædicatum negativum neganter acceptum primariò tollit copulam s. connexionem prædicati cum subjecto, secundariò a. & consequenter etiam rem significatam.*

enb.

Ratio est, quia *copula*, tanquam medium uniens ista extrema videl: *subjectum & prædicatum non est unum, sed utriusq; extremi copula.* Cum itaq; particula negans proximè attingat copulam, ergò ipsa quoq; suam vim negandi exeret primariò in copulam s. coherentiam subjecti & prædicati: secundariò, a. etiam afficiet & negabit rem illius termini, cujus proximè est particula, n.p. prædicati. Negativa n. si collatio *inter subjectum & prædicatum* instituatur, non ad *subjectum*, sed ad *prædicatum* pertinet. Unde etiam prædicatum negans duabus exprimitur dictionibus, quarum *una* significat illius formam s. rem signatam: altera v. tollit *convenientiam prædicati ad subjectum.*

VII. *Affirmatio prior est negatione.*

enb.

§. 1. (1) *Affirmatio & negatio* hic insinuatur *complexa, non a. incomplexa* (2) *non generaliter spectata*, prout affirm: & negatio sunt Enunciationes: ita n. affirmatio & negatio sunt simul, quando quidem aq; negativa oratio, sit in quâ verum l. falsum inest, & in qua subjectum & prædicatum ponitur, quàm affirmativa; *sed specialiter considerata*, q. qualibet *secundum propriam rationē & seorsim* attenditur.

§. 2. *Fundamentum Canonis* est, quia *Ens* prius est, quàm non ens. Jam v. *Enunciatio affirmativa* dicit aliquid esse, dum affirmat prædicatum convenire suo subjecto. *Negativa a. Enunciatio* dicit aliquid non esse, cum neget prædicatum convenire suo subjecto, a. deoq; prædicatum removeat à suo subjecto. Deinde omnis compositio, quæ datur in affirmativa Enunciatione prior est divisione, quæ occurrit in negativa Enunciatione.

MEMBR:

MEMB: III. DISP:

2. *Utrum ad Veritatem Negativæ Enunciationis semper requiratur ut Subjectum sit verum?*

Resp: N. Nam ad veritatem Negativæ, non est necesse poni aliquid verum pro subjecto, sed sufficit, si prædicatum non conveniat subjecto, qualecunq; sit. Veritas enim & falsitas Enunciationis non æstimatur ex veritate aut falsitate, hujus l. illius extremi: sed ex veritate & falsitate connexionis, ita ut observetur, numne prædicatum conveniat subjecto nec ne?

EXcute mentis opes, doctamq; animato
cathedram,
Quæq; tibi Logicæ vis, studiumq;, doce.
Sic arcana tibi Sophies, SUCHANDE, patebunt,
Quæ Logicæ ignaris abdita semper erunt,

gr. f.
Chr. Köhrenssee / P.P.

NExum sermonis Logici cognoscere ritè,
Dixeris excellens utilitatis opus.
Sic nosces quidnam dicatur, sciveris ipse,
Dicere quâ quædam, tu ratione queas.
Ast hæc defendis pulchrè, doctissime Suchand;
Hinc ego pugnanti, plurima fausta precor.

*Pereximio atq; Doctis.
Dn: Respondent. Pautori & Audi-
tori suo honoratis;
gratulab: scribeb: hac*

M. Georgius V Vagnerus
Fac. Phil. Adj.

Madrigal.

Was Er bisher in Künsten zugenommen/
Das zeigt jetzt sein Mund.
Er wil/ daß es ans Tagelicht sol kommen
Und allen werden kund.
Nun es ist wohl gethan:
Denn/ der stets schweigt/ wird man gelehrt nicht
nennen/
Um reden lernt man aber einen kenne.

Seinen vielgeliebten Herrn Lands
Manne und werthen Freunde schrieb
dieses wenige

M. Johannes Müller.

Sonnet.

Bald diß/ bald jenes kann der Menschen Sinne leiten/
Des Plutons tieffer Schatz/ Junonis hohe Pracht
Bald den/ bald jenen zwingt und ihn zum Knechte
macht/
Der zweifelhaffte Mars/ wendet sich auff alle Seiten
Und trotzt gewaltiglich auff Krieges Muth und Streiten/
Das kugelrunde Glück/ nach stetem Wechsel tracht/
Je mehr es solchen trifft; Je mehr es drüber lacht.
Ein Weiser achtets nicht/ verachtet diß bey Zeiten/
Was nichts als Nebel ist/ und schleunig muß zerrinnen:
Ein bessers giebt der Fleiß/ der sich nach Pindus Zinnen

Zuschwingen ist bereit/wie Er mit Ruhm erweist /
Wenn sich/O wehrter Freund/ Sein Wundsch da=
hinn bemüht/

Da selbst Apollo steht/da schönes Lorbeer blüht:
Die Gaben wüensch ich Ihm/die Pallas giebt und preiset.
Dieses schrieb schuldigst seinen liebwehrs=
theften Hrn: Stubengesellen und
Freunde

Caspar Daniel Bierling
von Bausen.

WAls du durch vielem Fleis und offters Bü=
cher lesen/

Dir die vergangne Zeit / so du bey uns ge=
wesen /

Gebracht in deinem Kopf/ kan nicht verschwie=
gen stehn/

Es bricht ietzt kräftig aus/auf unsern Elb Arthē
Da du mit Ruhme dich/Hr. Schwager/lässest hö=
Wirstu noch deine Kunst in künftige vermehre/(re:
Wie bisher ist geschehn / so wird/O Musen=
Sohn/

Dein Fleis erwerben dir/ den schönsten Ehren=
Lohn.

Mit diesen geringen und wenigen Zeilen hat aus schul=
digkeit und ungefärbter Liebe seinen liebwerthesten
Hrn. Schwager bedienen wollen und sollen

Joh: George Keyser. Phil. & S. S. Theol.
Studijsus.

PERFICITUR Ratio Logicis conceptibus aptè,
Subtilesq; modos reddere mente docet.
Quod nunc uberiq; monstras, *perdulcis Amice,*
Ex cathedrâ quando publica verba facis.
Gratulor huic menti, felices apprecor ipse
Successus! Quin addat præmia magna, Deo!

Perexim: atq; Ductus:

DN: RESPOND: publicè ex Philo-
sophiâ Disputanti l. m. g.

hæc adjung:

Johannes Pessche Bud: Hexapol:
SS. Theol. ac Philos. Stud:

EGREGIAS monstras, quales hîc hauseris, artes
Quæ tibi, mi SVCHAND, commoda
mille ferent.

Perge propagando studium, famamqve pa-
ratam

Nec deerit cœptis, gratia Dia, tuis.

*Hæcæ pauca in honorem Dn. Respondentis
affinis sui dilectissimi adjicere
voluit, debuit*

Gottfried Krezschmar
Philos. Studiosus.

☞) o(☞

Ung VI 73

ULB Halle

3

004 108 515





Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

Farbkarte #13

B.I.G.



J. C. C.
7
GILSYN.
T I C I
Ex
G I C A
UT: IX.
hibens
NIS NATURAM
uam
S I D E
VVAGNERO
Phil: Adj:
ONDENS
ES Suchand /
verda-Lufat
Philos: Studios.
hantium collationi
n: O.R.M.DC.LXXII.
ori, *Horis matutinis*
ubj cit.
EBERGÆ
RCKARDI, Acad. Typogr.